



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXVII. De ministris per quos traditur baptismi Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

executione susceptorum ordinum, ut patet ex textu; & tenet Suarez supra dubio 1.

Notandum 3. solum Pontificem posse in hac irregularitate dispensare, ut supra; nisi rebaptizans religionem ingrediatur. nam in fauorem religionis Episcopus potest cum eo dispensare ut ordines suscipiat; quod etiam dicendum de Acolyto ministerium exhibente rebaptizanti. patet ex cap. citato.

ARTICVLVS X.

Utrum ritus quo Ecclesia in baptizando utitur sit conueniens?

AFFIRMAT; docetque ceremonias in solemnibus baptismis adhiberi 1. ad excitandam deuotionem fidelium & reuerentiam erga Sacramentum. 2. ad eorumdem fidelium instructionem, ut scilicet per quedam sensibilia quæ in baptismo adhibentur, instruantur ad querenda ea quæ per huiusmodi signa significantur. 3. ut per orationes, benedictiones, & huiusmodi, cohibeatur vis demonis ne Sacramenti effectum impediatur. de his ceremoniis agitur infra quæst. 71.

ARTICVLVS XI.

An conuenienter describantur tria baptismata?

AFFIRMAT conuenienter poni, scilicet baptismum aquæ, sanguinis, & flammis. Aduerte solum baptismum aquæ esse Sacramentum & eum solum absolute vocari baptismum; alia duo per quandam analogiam dicuntur baptismata; quod interdum suppleant baptismum aquæ, scilicet quoad effectum seu culpæ remissionem, quam operantur. unde non dicuntur baptismata nisi baptismum aquæ præcedant.

ARTICVLVS XII.

Utrum baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata?

CONCLUSIO est affirmatiua; quæ intelligitur quoad effectum gratiæ, quæ in martyrio communiter maior solet concedi quam in Sacramento baptismi, vel quam ratione contritionis. Quoad alios effectus non est necesse superet, cum per baptismum etiam omnis pœna tollatur, & character imprimatur, qui ratione martyrij non imprimitur. de materia horum articulorum infra scribitur.

QVÆSTIO LXVII.

De ministris per quos traditur baptismi Sacramentum.



VINQUE primis articulis docet etiam non sacerdotem posse valide baptizare; immo mulierem, & paganum; quamuis id soli sacerdoti ex officio

competat. in quorum articulorum explicatione non occurrit difficultas. circa rem ipsam occurrit

DVBIVM I.

Quis sit sufficiens minister baptismi?

CALVINVS, ut vidimus quæst. 64. in dubio circa articulum 4. negat etiam in extrema necessitate permissum esse feminæ baptizare. incertum autem est an velit non posse valide, an vero solum licitè. Cypr. verò cum Coepiscopis Africanis negauit hereticos vel schismaticos esse sufficientes ministros huius Sacramenti, ut vidimus eadem quæstione dub. 2. circa art. 5. Ex quibusdam Pontificum & Patrum sententijs videri possit paganos non posse valide baptizare.

Sed certa fide tenendum est quemlibet hominem ratione vtemem esse sufficientem huius Sacramenti ministrum.

Patet ex Concil. Flor. decreto de Sacramentis ubi dicitur: *Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare; in causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus & mulier, immo & paganus, & hereticus baptizare potest, dummodo formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesiæ ubi*

Aduerte Concilium per illam additionem in causa necessitatis, non velle baptismum ab alijs quam sacerdote collatum extra necessitatem esse inuallidum, sed tantum peccare, si extra huiusmodi necessitatem baptizent. quæ explicatio certa & communis confirmatur: constat ex prædicto decreto baptismum collatum à laico in necessitate esse validum; ergo etiam dicendus est valere collatus ab eodem citra necessitatem, cum baptismi collatio non sit intrinsecè actus iurisdictionis, neque ad sui valorem requiratur iurisdictionem in ministro respectu eius qui baptizatur. igitur ex eo capite non potest censeri validus in causa necessitatis, inuallidus autem collatus extra necessitatem, Ecclesiâ in priori casu concedente iurisdictionem, negante verò in posteriori. Non potest etiam dici inuallidus extra casum necessitatis, ex eo quod Ecclesiâ prohibeat laico extra illum casum baptizare; quia simplex Ecclesiæ prohibitio non potest reddere Sacramentum inuallidum, si materia & forma ponantur cum legitima intentione ab eo qui aliàs validè Sacramentum conficeret. cum ergo ex prædicto decreto habeatur quemlibet in casu necessitatis posse validè hoc Sacramentum conferre, ex eodem habetur posse etiam validè extra necessitatem.

Probatur eadem conclusio discurrendo per singula membra. 1. constat ad valorem baptismi non requiri clericatum, cum baptismus collatus ab Athanasio nondum clerico iudicatus fuerit validus, ut refert Nicephorus lib. 8. historia cap. 44. qui baptismus etiam citra necessitatem fuit collatus, ut ex prædicta historia patet.

2. Constat obstetres validè baptizare, & quâuis non soleant extra casum necessitatis, tamen baptismus ab ijs collatus etiam extra illum casum passim iudicatur validus. Si enim cõstet eas quempiam infantulum baptizasse, pastores non rogantur fuerit necessitas, sed supponitur legitimus baptismus, siue fuerit collatus in necessitate, siue citra illam: quod si extra necessitatem mulier inuallidè baptizaret, pertineret ad prouidentiam Ecclesiæ inquirere de necessitate, ne alioquin paruuli

Caluini dubius sensus.

Conclus. Homo qui libet & ratione vrens est sufficiens baptismi minister. Prob. 1. ex Florent.

Simplex Ecclesiæ prohibitio non potest reddere Sacram. inuallidum, si reliqua adfuerint.

Prob. 2.

suminum detrimentum patereut defectu baptismi.

3. Constat baptizatos ab hæreticis esse valide baptizatos, ex eo quod sententia Cypriani fuerit ab Ecclesia reprobata.

Hieron.

Confit. ex Hieronymo lib. contra Luciferianos circa finem dicente: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscepit exceptis Pauli Samosatensem discipulis.* Vbi vult approbati baptismum eorum hæreticorum, qui legitima forma utebantur. Idem tradit

Leo.

August.

Leo epist. 37. cap. 2. idem epist. 92. cap. 15. & refertur can. *li de quibus*, de consecratione dist. 4. August. lib. 6. contra Donatistas cap. 25. censet baptismum etiam ab hæreticis collatum verbis evangelicis, id est formâ à Christo præscriptâ, esse validum, quod plurimis alijs locis docet. Gelasius Pontifex scribens Gaudentio Episcopo idem videtur supponere. vide canonem *si reuera*, de consecratione dist. 4.

Gelas.

Validè baptizati & hæretici & pagani, etiam extra necessitatē

Ex quibus & alijs testimonijs habemus, baptismum etiam extra necessitatem collatum ab hæreticis ab Ecclesia censei validum. Si enim Pontifices & Patres sensissent solum in casu necessitatis esse validum, debuissent id explicare, ne alioquin ex eorum dictis acciperetur erroris occasio cum animarum detrimento, præsertim cum non sit verisimile omnes baptizatos ab hæreticis fuisse baptizatos in extrema necessitate.

Can. A quodam Iudæo.

4. Constat Nicolaum primum respondentem Bulgaris censuisse baptismum à Pagano collatum esse validum; ut patet ex can. *à quodam Iudæo* dist. citata; cumque eo canone multi dicantur ab eo Iudæo baptizati, quos non est verisimile omnes in necessitate fuisse constitutos cum baptisma respererent, constat baptismum etiam extra necessitatem collatum à Pagano esse validum; fauetque responsio Pontificis quæ non restringitur ad casum necessitatis. vide etiam canonem *Romanus*, ex Isidoro eadem dist.

Ratio institutionis Christi.

Ex quibus omnibus apparet quod dum Concil. Flor. addit in causa autem necessitatis, non velit baptismum aliâs invalidè confecti, sed solum illicitè, & quod velit in eo decreto statuere iuxta sensum Ecclesiæ quælibet ratione utentem esse sufficientem huius Sacramenti ministrum. Ita verò instituit Christus propter summam Sacramenti necessitatem; congruum enim fuit ut Sacramentum maximæ necessitatis haberet ministrum maximè obuium, quamvis peccaret, qui illud conferret extra necessitatem ad id ex officio non deputatus, quod tamen valori Sacramenti non officeret. nam propter dubia & scrupulos quæ inde oriri possent, non deuit validam administrationem laici &c. restringi ad casum necessitatis.

2.

Obiectio 1.

Contra obijciuntur 1. varij canones de consecratione dist. 4. canon *constat baptisma*; can. *mulier*; can. *in necessitate*, quibus videtur negari laicum vel etiam mulierem extra necessitatem posse baptizare.

Resp.

Resp. tantum negari quod possint licitè, non verò validè.

Obiectio 2.

Can. quos à pagani.

Obijciuntur 2. quod saltem baptismus collatus à pagano non sit validus; nam canone *quos à pagani* dist. citata, qui dicitur desumptus ex epistola Gregorij secundi ad Bonifacium, dicitur: *quos à pagani baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizetis in nomine Trinitatis mandamus.*

Coe. Elbert.

Confir. ex Concil. Elbertino can. 38. vbi dicitur posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus) baptizare in necessitate infirmitatis positum catholicum; qua loquendi

forma insinuat ne quidem in ea necessitate Paganum posse baptizare, quod etiam insinuat ab August. & refertur can. *sanctum est baptisma* dist. citata; vbi videtur doceri in necessitate solis laicis Christianis concessum baptizare.

Resp.

Resp. neg. assumptum, ad primam probationem dico, Pontificem non decernere baptizatos à Paganis rebaptizandos, præcisè quia fuerant à Paganis baptizati, sed quia verius est hos Paganos non vfos forma legitima, propter quam causam ostendimus baptizatos à quibuldam hæreticis rebaptizandos.

Explicatur canon Concil.

Ad secundam quæ continetur in confirmatione resp. Concilium nolle negare Paganum posse validè baptizare, sed solum asserere posse Christianum, qui si addit præferri debeat Pagano, ita ut Paganus tali præsentem non possit absque peccato hoc ministerium exercere. quod satis confirmari potest ex eo quod idem sentiat de bigamo, qui tamen non prohibetur validè baptismum conferre præsentem Christiano non bigamo, sed solum licitè. hac ratione plures alij possunt explicari.

Item Aug.

Ad tertiam resp. August. eo loco recitare historiam alicuius qui necessitate urgente in naui fuerat à laico Christiano baptizatus, & docere validum fuisse baptismum, non tamen negare baptismum à Pagano collatum futurum irritum. Facit autem mentionem solius laici, quia baptismus à tali fuerat collatus, de quo nonnullum dubium esse poterat; quia ergo eius discursus non exigit fieri mentionem Pagani, eius non meminit.

Obijciuntur 3. canon *si quis per ignorantiam* 1. quæst. 1. ex Isidoro, vbi dicitur: *si quis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum rebaptizari.*

Obiectio 1. Can. si quis per ignorantiam, Resp.

Resp. Isidorum id non asserere, sed solum questionem proponere, vel falsam alicuius sententiam referre; nam paulò post subdit: *sed Romanus Pontifex non hominem indicat qui baptizatur, sed spiritum Dei ministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat.* Vbi satis apertè docet baptismum à Pagano collatum esse validum.

DUBIUM II.

Quinam competat ex officio posse baptizare?

QUAMVIS constet quemlibet etiam non baptizatum posse validè baptizare, etiam extra necessitatem; quia tamen est certum non omnibus competere ex officio hoc Sacramentum ministrare, quaritur quibulnam id conveniat?

3.

Resp. id competere sacerdoti. patet ex Flor. dicente de baptismo. *Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare*, quibus verbis excludit omnem non sacerdotem, cum loquatur dogmaticè. & potest confirmari ex sequentibus, in causa autem necessitatis, non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus: qua loquendi forma innuit ne quidem diacono id ex officio competere. idem patet ex can. *constat baptisma* de consecratione dist. 4. ex Isidoro, vbi dicitur: *constat baptisma solis sacerdotibus esse tractandum, eiusque mysterium nec ipsi diaconis explorare est licitum &c.*

Conclusio.

Soli sacerdoti ex officio competit baptizare.

Elorent.

Can. Cyprianus baptisma.

Quo sentio sacerdos dicitur ex officio ministrare baptismum.

Aduerte sacerdotem non eo sensu dici ministrum huius Sacramenti ex officio, quod quilibet sacerdos possit etiam absque peccato quemlibet baptizare; sed quod per consecrationem sacerdotalem consti-

consti-

constituatur capax, & in eo gradu, ut accedente iurisdictione ordinaria vel delegatione possit absque peccato etiam extra necessitatem baptizare. Id requiritur patet ex eo quod administratio Sacramentorum sit actus pascendi, & per consequens pertineat ad officium pastoris; ut autem aliquis licet pascat non solus ordo requiritur, sed etiam iurisdictione vel autoritas ab eo qui ordinaria iurisdictione est præditus. Adde baptismum esse iactum Sacramentorum & ingressum in Christi familiam, qui proinde extra casum necessitatis solum potest administrari ab eo qui iure suo potest admittere in Christi familiam; hic autem debet esse pastor vel ab eo deputatus.

Quamvis ergo actus baptizandi non sit intrinsece actus iurisdictionis, sicut absolutio Sacramentalis, que intrinsece est sententia requirens iurisdictionem, etiam ut valide exerceatur; tamen ut licet conferatur baptismus extra necessitatem, requiritur in administrante iurisdictionem vel deputationem propter rationes allatas; & proinde quando dicitur sacerdos posse ex officio hoc sacramentum ministrare, iuxta eam explicationem est accipiendum.

Neque obstat quod nullus ante baptismum reipsa susceptum subijciatur Ecclesie, & proinde non videatur illa iurisdictione requiri ad baptismum etiam extra casum necessitatis conferendum: quamvis enim directa iurisdictione solum habeatur per baptismum reipsa susceptum, nihilominus tamen indirecta potest haberi, eaque requiritur ut quis possit licite extra casum necessitatis alium baptizare; requiritur inquam iurisdictione saltem in locum in quo aliquis nascitur, vel in quo parentes commorantur, nam qui talem habet iurisdictionem, censetur habere indirectam in prolem baptizandam, & ut ei competat proli conferre baptismum, & illam in Christi familiam admittere.

Ex quo patet Episcopum posse baptizare in tota diocesi, Pastorem in tota sua parochia; alios vero sacerdotes iuxta commissionis amplitudinem, quibus potest committi ut etiam citra ullam necessitatem possint solemniter baptizare, tam absque suo quam delegantis peccato. ubi obiter

Aduerte, ut pastor suas vices possit alteri committere, ex consuetudine requiritur ut sit ab Episcopo approbatus.

Dices solis Episcopis competit admittere in Ecclesiam; igitur illis solis competit baptizare. Antecedens probatur: competit solis Ecclesie principibus aliquem in illam admittere. Confir. ex eo quod multi Patres videantur hanc potestatem solis Episcopis concedere; item ex eo quod Matth. vii. verba Christi baptizantes eos &c. ad solos Apostolos dirigantur; Apostolis autem succedunt Episcopi.

Resp. neg. antecedens eiusque probationem; nam inferioribus potest competere admittere in numerum fidelium, quamvis Episcopis, qui per episcopalem consecrationem peculiariter constituantur in gradu pastoralis, speciali ratione ex vi ordinationis id competat; idque solum volunt Patres, scilicet Episcopos ex vi suæ ordinationis peculiariter id posse; non tamen volunt alios sacerdotes non constitui in eo gradu, quibus etiam ex iuris concessione vel commissione Episcoporum liceat extra necessitatem baptizare, atque adeo hoc sensu illis competat baptismum ex officio ministrare. Adde tamen decere ut Episcopo presenti

deferatur, ut, si velit, baptizet. Ad locum Scripturæ

Resp. Christi verba dirigi ad Apostolos, non solum ut Episcopos, sed etiam tanquam sacerdotes, atque adeo eorum in sacerdotio successores posse modo explicato baptismum ex officio ministrare.

Ex dictis oritur difficultas, quo casu cum pastore non sacerdote concurrat sacerdos non pastor, & nullam habens iurisdictionem etiam delegatam; quid enim tunc est faciendum?

Resp. pastorem etiam diaconum non posse per se baptizare absque peccato: in illo ergo casu tenetur sacerdoti impertiri facultas baptizandi. Ratio est quod cum non sit sacerdos, non sit in eo gradu constitutus ut possit illi competere ex officio baptizare, & proinde nequeat baptizare absque peccato extra necessitatem, quæ in hoc casu nulla est respectu illius, cum adsit sacerdos, qui tamen non potest baptizare absque pastoris licentia; cum ut supponitur non habeat aliunde hanc facultatem. necesse ergo est pastorem tali simplici sacerdoti facultatem concedere. Si tamen instante necessitate pastor hanc facultatem nolit concedere, potest sacerdos baptizare; & pastor non sacerdos, eo presente & volente baptizare, non potest absque gravi peccato Sacramentum ministrare, quia nullus non sacerdos presente sacerdote & parato Sacramentum ministrare, potest illud etiam in casu extremæ necessitatis conferre; quia in his circumstantiis non potest dici esse extrema necessitas respectu ministri non sacerdotis, & is aliquo modo iniuriam irrogaret sacerdoti arrogans sibi munus baptizandi in eius presentia, ex quo constat pastorem non sacerdote renuente dare licentiam posse sacerdotem baptizare, & nullum eo presente & volente baptizare id posse absque gravi peccato.

Hactenus ostensum est sacerdotem ex officio esse baptismi ministrum, & qua ratione id intelligatur: iam ostendendum id diacono non competere. Quod ostenditur i. ex discursu Flor. citato. item ex Gelasio Papa; refertur can. *diaconus dist. 43.* & ex Isidoro can. *constat baptisma* citato, de consecratione dist. 4.

Postea Christi institutione, de qua nobis constat per Ecclesiam, ratio est quod diaconus ex suo gradu & ordine non sit in eo statu quo possit esse pastor; unde nec potest illi ex officio competere conferre baptismum, per quem in Christi familiam admittat. Adde quod non habeat potestatem in Corpus Christi verum; igitur neque habet ex suo gradu in corpus Christi mysticum; cum potestas ordinis in corpus Christi mysticum supponat potestatem in Corpus Christi verum.

Dices, in ordinatione diaconi dicitur, *diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, & predicare.*

Resp. hæc verba non ostendere quod vi suæ ordinationis constituatur in eo gradu per quem ordinari possit illi committi munus baptizandi, & pro solo committentis arbitrio; sed quod tanquam Episcopi & sacerdotis minister interdum id possit, possitque aliquando extraordinarie illi committi; quod declarat Gelasius supra dicens, *alsque Episcopo vel Presbytero non audeant* (scilicet diaconi) *nisi prædictis fortassis ordinibus longius constitutis necessitas extrema compellat.*

Notandum ergo discrimen sacerdotis & diaconi inter se, similiter diaconi & aliorum inferiorum inter se in ordine ad baptismum ministrandum: quod sacerdos quantum est ex parte ordinis

suffi.

Episcopo presenti deferri debet, ut baptizet.

Pastor tantum diaconus tenetur sacerdoti simplici dare licentiam baptizandi.

Si dare nolit, potest sacerdos baptizare, in necessitate.

Probatur non competere diacono ex officio. Flor. citato. Gelas. Isidor.

Obiectio.

Resp.

Discrimen sacerdotis & diaconi quod ministrandum baptismum.

Resp.

Explicatur canonice & Concil.

Item Aug.

Obiectio. Can. si quis periguratam.

Resp.

Conclusio.

Soli sacerdoti ex officio competit baptizare. Flor.

Can. Cyprianus baptisma.

Quo sensu sacerdos dicitur officio minister baptismi.

sufficientem habeat capacitatem, & ut ita dicam completam, ut baptismus ei committi possit, etiam extra omnem necessitatem pro solo committentis arbitrio; diacono vero non possit committi ex sola voluntate committentis, sed aliqua causa rationalis requiratur, ita ut si absque tali causa pastor vel Episcopus diacono committat collationem baptismi, tam committens quam diaconus ex commissione baptizans graviter peccet: non tamen requiritur extrema necessitas, ut baptismus valeat committi diacono, sed alia inferior sufficit; immo sufficit ea quae iudicio prudentis censetur iusta, ut quod pastor rebus grauibz occupetur. patet exemplo Apostolorum, qui ut praedicationi vacarent videntur baptismum diaconis commisisse, ex qua commissione Philippus diaconus baptizauit, Act. 8.

Art. 8.
Diaconus
ex commi-
sione po-
test bap-
tizare solem-
niter.

6.
Diferimen-
diaconi ab
inferioribus
ministri-
baptismi.

Sotus.

Porro quando diaconus iusta de causa potest ex commissione baptizare, potest baptizare solemniter; similiter potest solemniter baptizare, quando Episcopi & sacerdotes nimis procul distat; denique quodcumque diaconus potest baptizare, illud potest solemniter praestare, si nihil sit quod obstat.

Ex his aliquo modo patet secunda pars, & diferimen inter diaconum & alios inferiores. 1. quod non liceat alijs baptizare extra necessitatem extremam; diaconus vero possit ex commissione in necessitate longe minori. 2. quod inferiores nunquam possint baptismum solemniter conferre, peccentque mortaliter si hoc faciant, etiam urgente necessitate, ut Sotus dist. 4. quaest. unica art. 3. §. sit ergo prima: diaconus vero possit & debeat solemniter baptizare, nisi temporis angustijs praepediatur; immo absente sacerdote in necessitate diaconus videtur etiam citra peculiarem commissionem suo iure solemniter posse baptizare, si videlicet res urgeat, & sacerdos non possit facile expectari. unde videtur dicendum quod licet diaconus non possit dici minister huius Sacramenti ex officio sicut sacerdos, cui potest etiam extra omnem necessitatem committi ut baptismum conferat in praesentia Episcopi vel Parochi, nihilominus tamen dici potest habere ex sua ordinatione quandam potestatem inchoatam, quae per alterius commissionem iusta de causa secundum prudentis iudicium possit compleri.

Ex quo apparet quod diximus quaest. 64. art. 6. dub. 1. in fine, diaconum baptizantem solemniter in peccato mortali per se loquendo peccare mortaliter, quia scilicet confert Sacramentum in mortali, idque tanquam minister aliquo modo ex officio.

Ordo seruandus inter ministros baptismi.

Quale peccatu huius ordinis inuersio peccati sacerdotum & diaconum.

Ex omnibus dictis hoc dubio colligi potest: quis sit ordo seruandus inter ministros huius Sacramenti ut licite illud conferant. i. namque extra casum necessitatis vel rationalis causae, nullus praeter sacerdotem potest baptizare, & quidem intra terminos suae iurisdictionis vel commissionis. Si quid tentent alij etiam diaconi peccant mortaliter, cum, ut diximus, non possit baptismus etiam diacono committi sine rationali causa; verbi gratia, eo quod sint pauci sacerdotes, vel procul distent, vel rebus grauioribus occupentur. 2. etiam in casu necessitatis sacerdos praesens qui velit baptizare, est praefendus etiam diacono: si absit, vel non velit, aut non possit baptizare, diaconus debet assumi, & huius ordinis inuersio est peccatum mortale, cum negligantur ij qui ratione suae ordinationis habent completam capacitatem

vel saltem inchoatam, quibus proinde censetur fieri grauis iniuria, si non reuocant baptizare, quamuis Sotus dist. 4. quaest. unica art. 2. §. circa tertiam, & Suarez disput. 31. sect. 4. §. unde tertio addendum, sentiant non esse mortale, si negligatur diaconus.

Ex his patet nullo modo probari quod docet Caiet. art. 4. huius quaest. 67. scilicet laicum solemniter baptizantem peccare mortaliter; non vero si baptizet absque solemnitate etiam extra casum necessitatis seposito contemptu & praesumptione.

Petes an similiter sit mortale si ordo inter alios inuertatur, v.g. si mulier baptizet in praesentia viri qui formam nouerit, & paratus sit baptizare?

Affirmat Vasquez disp. 147. cap. 5. §. postremo hoc idem. Sotus vero & Suarez supra censent tantum esse veniale; quod videtur probabilius, quia in eo quod hic ordo inuertatur, non fit contra ius cuiusquam, sed solum contra aliquam decentiam: pro quo

Notandum quod licet quando soli inferiores coeurrunt nullus propriè ius habeat ut alteri praefatur, deceat tamen alijs praeferi subdiaconum, & post hunc praeferi constitutos in minoribus ordinibus, tum clericum, inde laicum baptizatum; praeferi etiam mulierem baptizatam Pagano, omnia intelligendo ceteris paribus, nam si vir etiam baptizatus vel clericus formam nesciat, potest praeferi mulier quae illam nouit.

Denique notandum quod licet parens in necessitate prolem suam baptizet defectu alterius, non propterea impediatur à petendo debito coniugali, de quo in materia de matrimonio.

ARTICVLVS VI.

Virum plures possint simul unicum baptizare?

NOTANDUM aliquos plurimis modis posse simul concurrere ad baptismum eidem conferendum. 1. vno abluciente & altero formam proferente. 2. singulis materiam applicantibus & proferentibus formam independenter à se inuicem, ut si duo ita se habeant, ut singuli abluant & verba formae proferant super eodem, & singuli aduertant quid alter faciat, velint tamen per se & independenter vnus ab alio baptismum conferre. 3. singulis quidem materiam applicantibus & proferentibus formam, sed dependenter à se inuicem, quia nimirum singuli volunt concurrere tanquam causae partiales cum alio ad vnum Sacramentum efficiendum.

Quaestio in primo sensu non proponitur hic à D. Th. quamuis aliquam eius faciat mentionem responsione ad 3. sed intelligitur in alijs sensibus explicatis.

Respondet igitur 1. si plures concurrant tanquam causae partiales ad conferendum Sacramentum, v.g. dicendo nos te baptizamus, non futurum Sacramentum.

Respondet 2. si verò plures concurrant ita ut singuli velint Sacramentum seorsim & independenter ab alio conferre, verè conficietur Sacramentum; de quarum conclusionum veritate disputari potest. itaque

DV.

D V B I V M I.

Verum si duo circa eundem applicent materiam, & legitimam formam proferrant ex intentione baptismum conferendi independentem à se inuicem, conficiatur Sacramentum?

Resp. affirmatiue. est communis & certa sententia Theologorum, quæ inde patet quod omnia substantialia hic possunt inueniri. Inuenitur enim legitima materia, scilicet sufficiens ablutio, vt supponitur; inuenitur etiam legitima forma, scilicet intentio legitima Sacramenti conficiendi; quæ postrema pars probatur: minister in dicto casu habet absolutam intentionem Sacramentum conficiendi quantum in se est; talis autem intentio est legitima. Maior probatur, quamuis aliquis videat alium velle baptizare atque aded se applicare ad baptismum conferendum, non impeditur quod minus possit quantum in se est velle independentem ab illo baptizare. Minor etiam probatur, si alius non concurreret, huiusmodi intentio esset legitima, concursus autem alterius non obstat quod minus ea inueniatur.

Confr. 1. si quid obstat esset aduertentia qua notatur alterum velle baptizare; hæc autem aduertentia non tollit legitimam intentionem, cum non impediatur quod minus aliquis velit independentem ab altero materiam applicare, & formam profert ex voluntate Sacramenti conficiendi.

Confr. 2. si sacerdotes recenter consecrati simul finiant verba consecrationis cum Episcopo, Sacramentum cum eodem conficiunt; igitur concursus plurium, quorum singuli independentem ab alio intendunt Sacramentum conficere, non obstat ex parte intentionis, quod minus Sacramentum conficiatur.

Confr. 3. si ex parte voluntatis eodem modo concurrerent singuli ignorantes quid alter faciat, verè posset confici Sacramentum; ergo etiam conficitur quamuis mutua actionem aduertant, cum, vt dictum est, aduertentia non mutet vel vitiet intentionem.

Potest verò confici Sacramentum licet singuli dicant: *nos te baptizamus*; quia hac loquendi forma non volunt declarare quod concurrant dependentem à se inuicem, sed singuli eam vtuntur 1. ex intentione Sacramenti conficiendi formam practicè pronuntiantes in ordine ad se. 2. insuper declarando quid alter velit facere, quasi dicant: ego te baptizo, & similiter ille conatur te baptizare; qua in re frustra videtur Sotus hæc dist. 4. quest. vnica art. 4. §. ex his autem.

Aduerte 1. quod qui ita concurrunt grauiter peccant 1. quia singuli se exponunt periculo nihil efficiendi. 2. quia faciunt contra communem Ecclesiæ consuetudinem in re graui; vnde meritò puniri possunt, vt docet D. Th. immo etiam peccat is qui sciens & valens impedire permittit plures ita se gerere circa se.

Aduerte 2. si ita concurrant vt vterque simul finiat sacramentalem actionem, vtrumque confecturum Sacramentum. cum enim constet ex dictis neutrum impedire alterum quod minus Sacramentum valide conficiatur, si ponantur omnia substantialia; sequitur si ita concurrant vt simul finiant

ea quæ ad Sacramenti confectionem requiruntur, singulos Sacramentum confecturos. Quod si vnus ante alium absoluat substantialia Sacramenti, alius nihil faciet, cum Sacramentum iam sit perfectum, & baptismus semel legitime collatus non iteratur.

Vtrum autem eo casu secundus sit incursum irregularitatem, potest dubitari; cum rebaptizet, & vt D. Th. esset puniendus tanquam rebaptizator. Si tamè consideremus canones quibus decernitur irregularitas rebaptizationi, probabile est non incursum, quia canones videntur solum decernere penam, quando quis baptizatum nouo & distincto tempore rebaptizat, seu quando circa plenè baptizatum, de nouo integra materia & forma profertur; non videntur verò respicere ad hunc casum rarissimum, quo aliquis conatur cum alio baptizare, qui præueniens nihilominus pergit in sua actione.

Controuertunt Doctores quo casu plures concurrentes Sacramentum conficiunt, vtrum sit futurum vnicum an plura. Aliqui existimant futurum vnicum pendens à duabus causis totalibus; ita D. Th. in fine corporis, Sotus art. 4. citato §. quo circa non opus, & alij.

Alij verò tenent futura plura Sacramenta; Gabr. in 4. dist. 6. quest. 1. art. 3. dub. 4. Caiet. hic §. amplius quando, & alij; quorum sententia videretur probabilior, quia omnia ad Sacramenti substantiam requisita multiplicantur; cum sit duplex materia, tam remota quam propinqua, scilicet duplex ablutio, quod optimè patet quando baptismus confertur perfusione vel asperzione, sit etiam duplex forma, & duplex intentio supponatur.

Confr. non possunt omnia constitutiva aliquod compositum multiplicari, quin ipsum compositum multiplicetur; cum ergo Sacramentum physice nihil sit aliud intrinsecè quam compositum ex tali materia & forma, si hæc multiplicentur etiam in vno & eodem subiecto, ipsum Sacramentum debet multiplicari.

Nec obstat quod supra dictum sit baptismum non posse validè iterari; quia hoc casu non poterit dici iterari. nam quod non præuenitur & præexistit, non potest dici iterari, sed solum id quod successiue ponitur. potest ergo dici in hoc casu baptismus multiplicari, non verò iterari.

Dices id etiam fieri nequit, cum ex Christi institutione vnicus possit esse in vno baptismus.

Resp. quamuis non possit baptismus multiplicari per iterationem, non est tamen contra Christi institutionem, vt si in aliquo casu rarissimo plures simul ponant omnia ad valorem Sacramenti requisita, Sacramentum multiplicetur, cum ratio fundata in principijs fidei id suadeat; vnde cum dicitur vnicum in vno esse baptismum ex Christi institutione, si per hoc intelligatur quod Christus noluerit vllò vnquam casu licite multiplicari verum esse, similiter verum est quod secundum communem modum procedendi non multiplicetur, idque ex Christi institutione, quia moraliter non contingit plures eodem modo complere omnia ad substantiam baptismi necessaria: si tamen intelligatur quod ita repugnet illi institutioni, vt etiam in casu rarissimo non ponatur sæpius Sacramentum, quamuis omnia requisita multiplicentur, videtur negandum propter rationes allatas.

Dices inde sequi plures in eodem futuros characteres baptismales.

Resp. neg. sequelam, quia vnicus character per modum

Si vnus ante alium absoluat substantialia Sacramenti, alius nihil faciet, cum Sacramentum iam sit perfectum, & baptismus semel legitime collatus non iteratur.

Dubium incipiens.

S. Thom. Sotus.

Verius videtur eo casu futura duo Sacramenta, Gabr. Caiet.

Instantie refelluntur.

Obiectio 1.

Resp.

Eo casu erit
vnicus cha-
racter a
duobus Sa-
cramentis.

modum effectus produceretur à duobus Sacramen-
tis tanquam à duabus causis totalibus, quòd faci-
lius dici potest in sententia eorum qui censent Sa-
cramenta solum moraliter concurrere ad produ-
ctionem characteris; quanquam & in alia senten-
tia non difficulter idem possit asseri, cum iuxta il-
lam Sacramenta non agant propria virtute, sed vt
Dei instrumenta, qui non statuit in vno & eodem
multiplicare characterem.

Neque da-
bitur maior
gratia quàm
pro vnicò
baptismo.

Idem dicendum de gratia sanctificante, quæ in
hoc casu non erit maior quàm si vnicum Sacra-
mentum reciperetur, quia Deus videtur decreuisse
dare certam gratiam ratione baptismi iuxta sub-
iecti dispositionem, quæ non est augenda eò quòd
in casu rarissimo duo Sacramenta recipiantur.

Obiectio 2.

Dices 2. si plures eandem hostiam consecrent,
idem conficitur Sacramentum; ergo & in presenti
casu.

Resp.

Resp. neg. consequentiam, quia baptismus non
debet comparari cum Sacramento Eucharistiæ,
quod est effectus consecrationis, sed cum ipsa con-
secratione, quæ in dicto casu multiplicabitur.

Obiectio 3.

Dices 3. ex pluribus illis actionibus exurgit vni-
cum signum; ergo & vnicum Sacramentum. ita
Vasquez disp. 148. cap. 2. §. ratio igitur huius.

Vasq.

Resp.

Resp. neg. antecedens, quamuis enim sint signa
vnius gratiæ, non inde efficitur non esse plura, cum
materia ab vno adhibita & forma prolata nullam
habeant subordinationem respectu alterius mate-
riæ & formæ, & non repugnet in vno eodem plura
esse eiusdem rei signa.

10.
Quæstion-
cula 1.

Petes 1. an futurum sit Sacramentum si duo ad-
uertentes mutuam actionem dicant: ego te baptizo,
si alter non baptizet?

Resp.

Resp. id pendere ex intentione; si enim hac for-
ma loquendi solum intendat baptizare quo casu
alter forte non baptizet, quia videlicet posterior
ponit essentialia, is conficit Sacramentum qui prior
absoluit, & alter nihil facit; si verò singuli intendant
baptizare quo casu alter non intendat; & nolint
baptizare, quo casu alter baptismum intendant; neu-
ter quidquam efficit, patet ex eo quòd singuli ap-
ponant conditionem quæ destruit rationem Sacra-
menti, vt si Petrus intendit baptizare solum eo
casu quo Ioannes non intendat, Ioanne intendente
non baptizat; qui Ioannes similiter non baptizat,
cum vicissim solum velit eo casu baptismum con-
ferre, quo Petrus non intendat; vnde huiusmodi
intentiones se mutuo interimunt.

Quæstion-
cula 2.

Petes 2. quid sit futurum si duo concurrant, quo-
rum is qui prior absoluit requisita ad Sacramen-
tum, suspendit intentionem conficiendi Sacramen-
tum donec alter absoluat?

Resp.

Resp. posteriorem confecturum Sacramentum,
quia ponit omnia eius substantialia, nec vilo addi-
to vitiat rationem Sacramenti; prior verò nihil
efficiet, quia non efficit Sacramentum quando po-
nit materiam & formam, vt patet, cum non velit
pro eo tempore Sacramentum conficere; non confi-
ciet postea, quia minister Sacramenti non potest
Sacramentum conficere aliter quàm ponendo mate-
riam & formam, postea autem non ponit, vt sup-
ponitur.

Non potest
suspendi
confectio
Sacramenti,
sic vt ponat
postquàm
materia &
forma præ-
terierunt.

Dices, posuit. Resp. id non sufficere, quia non
potest ita pro arbitrio suspendere confectionem
Sacramenti, vt illud ponatur etiam postquam ma-
teria & forma planè præterierunt.

D V B I V M II.

*An subsistat baptismus si plures concu-
rant tanquam causæ partiales, quorum
singuli applicant materiam, & profe-
rant formam?*

Q V A M V S is qui sufficentem partem abluit,
& profert legitimam formam, possit inde-
pendenter ab alio Sacramentum conficere, quia ta-
men potest ita restringere intentionem, vt nolit per
hæc Sacramentum ponere, nisi cum alio, & depen-
denter ab eo cum quo vnâ totalem causam con-
flet, idcirco petitur, an futurum sit Sacramentum
si duo ita se habeant?

Videtur autem futurum, quia neque ex Scri-
ptura, neque ex sensu Ecclesiæ, potest colligi eo ca-
su non futurum Sacramentum, neque ex ipsa ra-
tione baptismi, quod patet: ex Scriptura nō habet
mus non posse duos concurrere ad huius Sacramenti
confectionem, neque etiâ ex sensu vel praxi Ecclesiæ;
quamuis enim sit contra Ecclesiæ morem quòd
duo ita concurrant, inde tamen non arguitur quòd
concurrant inualide, sed solum quòd illicite; rur-
sum quamuis conditio baptismi requirat vnicum
ministrum hoc sensu quòd non indigeat secundo,
non sufficienter ostenditur quòd excludat secun-
dum, seu quòd non possit minister huius Sacra-
menti integrari ex duabus personis, quarum vna
ab altera dependeat in eiusdem confectione.

Confr. in prædicto casu singuli applicant mate-
riam, & singuli formam proferunt quæ videtur le-
gitima, singuli etiam habent intentionem confi-
cendi Sacramentum, quamuis non sine altero;
quæ restrictio non officit substantiæ Sacramenti,
cum non videatur illam tollere, vt patet.

Dices, officere quia per formam significatur
quòd ipse proferens sufficienter abluat ad ratio-
nem Sacramenti, quod per talem intentionem de-
struitur. nam vt supponitur, vult suam ablutio-
nem cum alia coniungere ad rationem Sacramen-
ti constituendam, & per consequens intendit il-
lam non adhibere vt sufficientem.

Responderi potest formam designare quidem
quòd proferens sufficienter abluat materialiter, vt
ita dicam, non verò necessariò designare quòd
proferens semper intendat adhibere ablutionem
vt sufficientem ad rationem Sacramenti hîc & nunc
conficiendi seorsim à concursu cuiusquam alte-
rius; saltem id ex forma non ita est manifestum.

Duplex est hac de re sententia. Prior asserit eo
casu verum confici Sacramentum. tenet Durand.
dist. 3. quaest. 3. Palud. eadem dist. q. 2. art. 3. Caiet.
hîc, & alij.

Posterior censet non confici Sacramentum. ita
D. Th. hîc Sotus dist. 4. quaest. vnica art. 4. §. ac
quoniam; & communius Theologi.

Notandum priorem sententiam speculatiue
loquendo non videri improbabilem; nam, vt omit-
tam plura argumenta quibus ea solet probari, ra-
tione facta satis ostendit illius sententiæ pro-
babilitatem.

Resp. nihilominus verius esse eo casu non futu-
rum Sacramentum.

Probat minister huius Sacramenti non agit
tanquam causa principalis & propria virtute va-
lens sese pro arbitrio suo gerere, sed subordinatur
voluntati

II.

Pars affirm.
suadet
probabili-
ter.

Duplex sen-
tentia
Affirmat
probabili-
ter. Dur.
Palud.

Caiet.
Negatiua
est com-
munior.
S. Thom.
Sotus.

Conclusio
negatiua.
Prob.

voluntati Christi, Christus autem non videtur permittere ut Sacramentum valide conficiatur, si minister intentionem suam restringat volens in Sacramenti consecratione ab alio pendere. Probatur: Christus voluit ut unus minister sufficeret; igitur videtur voluisse ut quantum est ex parte sua sufficientem adferret intentionem ad valorem Sacramenti: igitur noluit ut per suam intentionem posset ab alio pendere, atque adeo si intentionem ita restringat, nihil faciet. Confir. Christus instituit ut minister sufficientem materiam applicaret, item ut unus & idem sufficienter formam proferret; igitur videtur voluisse ut etiam intenderet sufficienter illa ponere in ratione Sacramenti independentem à quolibet alio. unde

Ad argumentum Resp. quamvis ex ipsa Scriptura vel etiam praxi Ecclesiæ non conuincatur in casu posito non confici Sacramentum, immò neque ex magna ratione fundata in conditione Sacramenti, probabiliter tamen suadeatur ex discursu à nobis facto, quamvis enim hoc Sacramentum ita conuenit institui ut minister non excluderet consortium alterius, verius tamen videtur ita institutum ut non possit pro arbitrio ab alio pendere. unde

Resp. ad confirmationem, talem non habere legitimam intentionem à Christo requisitam.

Notandum 1. quidquid sit de probabilitate prioris sententiæ, eos qui ita baptizant grauius peccatores: cum ut minimum in re graui agerent contra morem vniuersalis Ecclesiæ, nec vlla necessitas possit requirere ut suam intentionem ita restringant.

Notandum 2. hoc modo baptizatum ut minimum sub conditione esse rebaptizandum, propter communio sententiam negantem talem baptismum valere.

Præsentis dubio affinis est quæstio qua petitur, num futurum sit Sacramentum si duo concurrant, vno materiam applicante, altero proferente formam?

Caiet. hic §. in responsione ad 3. censet futurum, pro qua sententia etiam refertur Marfilus in 4. quæst. 4. art. 4. dub. 11. quibus hac in re ceteri cum D. Th. hic ad 3. repugnant; & merito; quia in eo casu forma *egate baptizati* falsa est, cum designet eum qui profert ablueri, quod in casu posito falsum est.

Dices formam proferri posse more Græcorum.

Resp. etiam tunc futuram falsam, cum forma Græcorum debeat æquiualeere formæ Latinorum ut supra dictum est, & proinde implicite significare eum qui profert formam, ablueri.

Dices, forma poterit proferri in plurali *nos te baptizamus*.

Resp. etiam tunc futuram falsam, cum is qui profert non baptizet, id est abluit, quod ad veritatem illius propositionis requiritur.

Contra, *nos baptizamus*, non solum significat ablueri, iuxta quem sensum procedit responsio, sed potest etiam significare *Sacramentum baptismi conferri*, quod potest esse verum vno ablutente, altero formam proferente; ille enim verè dicere potest *nos conferimus Sacramentum baptismi*; ita Caiet. supra.

Resp. neg. assumptum pro secunda parte, quamuis enim vox, *baptizo*, sumi possit pro, *baptismi Sacramentum confero*, non potest tamen verificari nisi verificetur prout significat *ablui*, quia non significat baptismum nisi mediante ablutione quæ est

proprium & immediatum significatum illius vocis, & non potest verificari de eo qui non abluit, cum non possit dici sacramentaliter ablueri qui non abluit; igitur si is qui non abluit dicat *baptizamus*, falsum dicit, quantumuis intendat dicere *Sacramentum conferimus*.

ARTICVLVS VII.

Utrum in baptismo requiratur aliquis qui baptizatum leui de fonte.

AFFIRMAT.

Notandum 1. hanc ceremoniam baptismi accidentalem esse in Ecclesia antiquissimam, cuius meminit Dion. Areopagita lib. ecclesiastica hierarchiæ cap. 2. parte 2. & cap. 7. sub finem refert ad Apostolos, meminit etiam August. tum alibi sæpius, tum sermone 163. de tempore. similiter & varia Concilia.

Cuius rei congruentiam adfert S. Th. quod si sit in generatione corporali paruulo datur nutritrix, ita & in spiritali detur aliquis qui fungatur vice nutritricis & pedagogi. hic vocatur sponsor, fideiussor, susceptor, patronus seu patrinus, cuius officium est paruulum de fonte leuare, & in suam curam suscipere.

Quia verò officium susceptoris est alium instruere, quod non potest communiter prestare non baptizatus, in Concilio Moguntino cap. 47. non baptizatus prohibetur aliū suscipere de sacro fonte; refertur can. in *baptismate*, de consecratione dist. 4.

Quam ob causam merito potest arceri hereticus tanquam ad instruendum ineptus, atque adeo arceatur per rituale Romanum Pauli Quinti, tit. de patrinis §. penult. ubi etiam arceatur publicè excommunicati, interdicti, publicè criminosi & infames, & quibusdam locis hi qui in Paschate non communicarunt. In Concilio Althodorense & refertur can. non licet dist. 4. cit. Abbates & monachi prohibentur aliquem de fonte leuare, quia cura paruulo impendenda est aliena ab eo, cum statu de monacho habetur can. *placuit* 2. 16. quæst. 1. sub quo non comprehenduntur mendicantes.

Quoad Abbates tamen varijs locis contrario vsu id est abrogatum, in quibus proinde non videntur peccare si quoniam de fonte suscipiant; quod licet videatur renouari in prædicto rituali tit. citato §. ultimo, nulla tamen sunt verba quæ denotent strictam prohibitionem.

Parens etiam non potest suam prolem de fonte leuare, etiam in casu necessitatis, quia baptizans potest esse susceptor, atque ita non potest subesse necessitas respectu parentis.

Notandum 1. in baptismo iure antiquo solum potuisse vnum esse susceptorem, ut patet ex decreto Leonis Papæ quod refertur can. non plures de consecratione dist. 4. quod tamen contrario vsu est abrogatum, nam ante Concil. Trid. passim plures viri & femina paruulum de fonte suscipiebant, quod & modo fit ubi Trid. non est receptum. ipsum verò Trid. sess. 23. cap. 1. de reformatione matrimonij, statuit ut tantum vnus siue vir siue mulier, vel ad summum vnus & vna baptizatum de baptismo suscipiant; quod si plures se offerant, baptizans sciscitetur ab eis ad quos spectat, quos elegerint ut baptizatum de fonte suscipiant, eoque tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina scribat, ubi

Resp. affir.

Dion.

August.

Congruentia.

Patrini officium.

In Concil. Mogunt. non baptizatus suscipere prohibetur. Item heretici alijque per rituale Pauli V.

Can. non licet.

Abbates non videntur peccare, si leuent.

Parens non potest propriam prolem leuare nequidem in necessitate.

I. 4. Iure antiquo tantum potuit esse vnus susceptor. Trident.

B b

Aduer-

Aduerte. 1. Episcopum non posse concedere licentiam vt duo viri loco viri & mulieris aliquem suscipiant, vt respondit congregatio Cardinalium, vide rituale citatum tit. citato §. 2. nec posse dispensare vt plures patrini quam vnus & vna admittantur.

Sanchez. Aduerte 2. patrones posse adhiberi in baptismo minus solemniter, vt Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 26. num. 3. & alij passim videntur supponere.

Qua ratione propter susceptionem de sacro fonte contrahatur spiritualis cognatio, commo- dius dicitur in materia de matrimonio.

ARTICVLVS VIII.

Utrum ille qui aliquem leuat de sacro fonte teneatur ad eius instructionem?

Resp. affir.

AFFIRMAT; aduertit tamen inter catho- licos apud quos parentes supponuntur suas proles instruere, & pastores plebem doceri, pa- trinos communiter liberari ea obligatione.

QVÆSTIO LXVIII.

De suscipientibus baptismum.

Ordo do-ctrinae D. Th.

DIVVS TH. præsentis quæstione agens de subiecto baptismi, i. explicat obligationem baptismi recipiendi, tum dispositionem quæ ad illius receptionem requiritur. denique quinam sint illius capaces.

ARTICVLVS I.

Utrum omnes teneantur ad susceptionem baptismi?

Resp. affir. Ioan. 3.

AFFIRMAT.

Probat. 1. ex Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.*

Probat. 2. homo ad illud obligatur, sine quo saluari non potest, non potest autem saluari sine baptismo, quia nemo potest saluari nisi incorporetur Christo, quod fit per baptismum, per quem homo fit Christi membrum.

Ex necessitate medij inferri necessitas præcepti.

In quo discursu docet baptismum esse necessarium ad salutem necessitate medij. & quia nihil magis debet præcipi quam id sine quo salutem consequi non possumus, si in nostra potestate situm sit illud ponere vel non ponere, idcirco etiam docet baptismum esse necessarium necessitate præcepti.

Circa solutionem primi argumenti Notandum D. Th. in ea non requirere vt antiqui Patres fidem suam externo signo protestarentur ad obtinendam peccati originalis remissionem, sed solum velle eos ex fide in Messiam veterum facile fuisse permotos ad sacrificia offerenda, & ad alia signa fidei protestatua. Confit. quia in fine responsionis colligens ex suo discursu præcisam solutionem ad argumen- tum, dicit; & ideo licet ipsum Sacramentum baptismum non fuerit semper necessarium ad salutem, fides tamen, cuius baptismus Sacramentum est, semper necessaria fuit, vbi nullum signum externum requirit, videri pos- sunt dicta supra quæst. 62. dub. 3. post medium.

ARTICVLVS II.

Utrum sine baptismo aliquis possit saluari?

RESPONDET aliquem posse saluari sine ba- ptismo re suscepto, non tamen sine eius voto seu desiderio procedente ex fide per dilectionem operante.

ARTICVLVS III.

Utrum baptismus sit differendus?

PRIMA conclusio: baptismus paruulorum non est differendus, quod duabus ex causis ostendit. 1. quia in paruulis non expectatur maior instructio. 2. quia non potest illis alio modo subueniri, vnde propter mortis periculum baptismus non debet differri.

Aduerte tamen hoc periculum esse satis remo- tum, quod proinde seposita ecclesiastica consue- tudine non inducit grauem obligationem non dif- ferendi baptismum paruulorum.

Secunda conclusio: baptismus adultorum differ- ri potest tribus de causis. 1. ne Ecclesia decipiat hoc Sacramentum conferens fidei accedentibus. 2. vt baptizandi plenè instruantur in fide & his quæ ad vitam christianam pertinent. 3. propter ma- iorem Sacramenti reuerentiam.

Docet tamen interdum posse statim conferri, si baptizandi sint perfectè in fide instructi & idonei ad baptismum. 2. si imminet illis periculum mor- tis, vt S. Leo epist. 4. cap. 6. & habetur can. si quis ne- cessitate de consecratione dist. 4.

DVBIUM I.

Utrum baptismus sit necessarius ad sa- lutem?

PELAGIANI censuerunt baptismum paru- lis non esse necessarium ad obtinendam pec- catorum remissionem, sed tantum ad consequen- dum regnum celorum. Prius asseruerunt, quod ne- garent paruulos contrahere peccatum originale, vt patet ex secundo error. Pelagij dñato in Synodo Palæstina, & habetur apud Aug. epist. 106. postero- rem tamen partem asseruerunt propter locum Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* videri potest Aug. hæresi 88.

Wicleff vltimius progressus absolute negauit hoc Sacramentum esse necessarium, vt refert Wal- densis tomo 2. doctrinalis fidei cap. 96. quod etiam negant plerique huius temporis hæretici, vt vide- re licet apud Bell. lib. de baptismo cap. 4. quamuis Calvinus id non neget de omnibus, sed de solis fi- lijs fidelium, quos dicit sanctos & membra Eccle- siæ sine baptismo, & proinde sine illo saluari posse lib. 4. institut. cap. 16. §. 24. & 25. quod quidem ea- tenus dictum consequenter eius principijs de effi- cacitate Sacramentorum, quatenus dicit paruulos fidelium absque baptismo saluari posse, minus ta- men conformiter quatenus his solis tribuit. nam si baptismus nihil confert, neque operatur remissio- nem peccatorum, est nudum & speculacium li- gnum remissionis acceptæ, & proinde non est ma- gis necessarius filiis infidelium vt iusti possint esse coram Deo quam filijs fidelium.

Contra